



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Commentarii Exegetici In Apocalypsim Ioannis Apostoli

Viegas, Brás

Parisiis, 1615

Ecclesiam Aquilam magnam esse: & quid per duas eius alas accipiendum?
Datae sunt mulieri alædnæ aquilæ magnæ. Sectio XXI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39261

quadragesima duos. Ita modum illum loquendi interpretatur D. Hieron. in c. 7. Dan. D. Hieron. Dan. 7. 27. & 12. 6. ubi ita legimus: *Tradentur en manu eius usque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis: & cap. 12. usque quod finis horum mirabilium: & audiri: quia in tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Tempus, inquit Hier. annus significat, tempora iuxta Hebraici sermonis proprietatem, qui, & ipsi dualem numerum habent, duos annos prefigurant. Ex quibus verbis Hieronymi planè colligitur D. Hier. cap. 7. Dan. pro *ghidanim*, numero multitudinis, quod modò habemus, legisse in duali numero *ghidanam*, id est, duo tempora: & c. 12. pro *maghadim*, quod nunc legimus, legisse *moghadiam*, in duali numero. Sic etiam eandem temporis temporum, & dimidij temporis locutionem intellexit Theod. in comm. super Dan. & D. Aug. lib. 20. de ciuit. cap. 23. Theod. D. August.

Postremò quæres, cur mulieri dicantur duæ alas aquilæ magnæ, non alterius volucris: Respondemus, vt significaretur Ecclesiam in prædestinatis, Dæmonis, & inimicorum insidias celeriter, longèque subterfugere: est enim volatus aquilæ & altissimus, & velocissimus, iuxta illud Thren. 4. *Velociores fuerunt persecutores nostri aquilæ.* Quis autem sit per duas hæc aquilæ alas accipiendum, & cur Ecclesia appelletur aquila: iam ex sequenti sectione explicandum. III. Eccl. veloci- tas in Dæ- monis insidiis fugiendū. Thren. 4. 19.

Ecclesiam Aquilam magnam esse: & quid per duas eius alas accipiendum?

Datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ.

SECTIO XXI.

TRia sunt in Aquilæ celeberrima: vnum est filiorum ad solem probatio. Pro quo sciendum ex Aristotele lib. 6. de hist. animalium cap. 6. & Musæo, quæ ibi citat aquilam, vt plurimum terna oua parere, binos pullos excludere, vnum educare. Cur verò vnum tantum nutriat, non eadem ratio ab omnibus redditur. Etenim eo loco Philosophus ait, aquilam alterum pullum reicere tædio, & fastidio nutriendi, eo quòd eo tempore degeneret, & hebescat, ac prædari minimè valeat: quam sententiam secutus est Plin. lib. 10. cap. 3. imò & D. Basil. hom. 8. in Hexam. Alij sentiunt non expellere alterum pullum tædio nutriendi, sed examine iudicandi: in quibus est D. Ambr. s. Hexam. c. 18. *Aquila, inquit, dicitur alterum pullum abdicare, quòd aliqui fieri putauerunt geminandorum alimentorum fastidio: sed id non arbitror facile credendum, præsertim cum Moyses Deum ob amorem in suos aquila comparauerit, Deuter. 32. sicut aquila promocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis. Quare non puto auaritia nutriendi eam inclementer fieri: sed examine iudicandi. Itaque asseritur, quòd pullos suos radijs solis obiciat, atque in aëris medio pio paruulos ungue suspendat: & si quis repercussus solis lumine intrepida oculorum aciem seruauerit, probatur, quòd veritatem naturæ sinceri obtutus constantia demonstrat: sin verò lumina sua perstrictus radio soli, inflexerit, quasi dengenger, & tanto indignus parente reijcitur.* Hæc Ambr. Idemque tradit D. Hier. super c. 40. Esai. in fine, D. August. tra. 36. in Ioan. & Plin. lib. 10. c. 3. Ergo hæc in re verè aquila est Ecclesia, quippe quæ filios suos ad solis, id est, Christi radios examinat, & quos reperit posse solem hunc aduersum intueri fideique obtutum in Diuinitatis eius radio figere, tanquam legitimos recipit: quos autem cernit tantum Christi splendorem ferre non posse, cuiusmodi sunt Iudæi, vt nothos, & adulterinos respuit. I. Arist. Musæus. Aquila quod oua pariat, & excludat pullos. Plinius. D. Basil. D. Ambr. D. Hieron. D. August. Plin. Ecclesia in- stat aquilæ suos exami- nat filios. II. D. Hieron. Plin.

Alterum in aquila celebratissimum est, quod in nido lapidem acritem collocare solet: quem D. Hiero. in cap. 66. Esai. appellat amethistem, ne serpentes pullis nocent: idemque refert Plin. lib. 10. c. 2. Hic lapidem D. Hier. loco citato Christum

Dominum interpretatur, quem Ecclesia in medio filiorum suorum collocat, ne à draconibus, & serpētibus, hoc est, Dæmonibus, & Hæreticis in commodi aliquid recipiant. Non inconcinne etiam idem lapis ætites fiducia in Deum accommodari potest, quæ virtus fideles in medio laborum omnium, ac persecutionum maximè roborat. Est autem obseruandum ex Plinio hunc lapidem in igne positum, nihil igne deperdere, esseque prægnantem, nimirum alium intra se quali in vtero gestare, qui intus sonat, cum lapis concutitur. Id quod in hanc posteriorem expositionem mirificè quadrat: etenim fiducia in Deum nihil igne deperdit, imò ipsis laboribus magis augetur, prægnansque est intus tum spirituali consolatione, tum gloriæ lapide pretiosissimo: qui cum iustus laboribus quasi concutitur, quodammodò intus sonat propter spem, quæ de gloria adipiscenda in ipsis propter Deum laboribus concipitur.

Falsicia in
Deum augetur
laboribus.

III.
Psal. 102, 5
Aquila quo
pacto renouatur.

D. August.

D. Ambros.

Detrahitio
fugenda.

Peccator quomodo renouatur.

Coloss. 3. 9.

2 Cor. 4. 16.
Ephes. 4. 23.
D. Ambros.
Christi uentus in nobis renouanda.

IIII.
Bala.
Primas.
Rich. 1. 11.
Haymo.
Ioachimus.

Tertium denique est eius renouatio, quam etiã non prætermisit Regius vates, cum dixit Ps. 120. *Renouabitur ut aquila iuuentus tua.* Fertur enim aquila certis tēporibus veteres plumas exuere per earum in elementari igne cōbustionē, & deinde per maris immersionē quasi per balneū nouas induere, vt pleriq; referunt in locū Psalms citatū. Quamquã D. Aug. in eundem locū aquilæ renouationem ad rostrū potissimum refert, docens rostrū aquilæ præ senio nimis crescere, & superiorem eius partem immoderatius inflecti, atque curuari, vt cibū capere non possit: tunc aquilam illud ad petram collidere, & extenuare: atque ita renouari, simulque redire nitorem pennarū. Hanc aquilæ renouationem D. Ambr. ser. 54. de innouatione fidelium ad baptismum vult spectare, in quo qui fidem Christi suscipiunt, renouantur, alludens fortasse ad maris immersionē, de qua ante diximus D. Aug. de omnibus fidelibus accipit, qui vniuersa perfectionis impedimenta à petra, quæ Christus est, auferunt: potissimum verò rostrū renouandū exemplo Christi, ne in verba detractionis prorumpamus, crescant enim interdum immoderatius huiusmodi rostra nec viuus, nec mortuis parentia. Quodd si vera sunt, quæ diximus ex nonnullorum sententia, renouati videlicet aquilam in igne elementari, & maris immersione, illud significatur peccatoris renouationē igne contritionis, & lacrymarū effusione faciendam, de qua locutus est Apost. ad Col. 3. *Explicantes veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum eum, qui renouatur in agnitionem secundum imaginem eius, qui creauit illum.* Quodd si id etiã velis ad iustos extendere, dic eos renouari, cum ad perfectionē aspirantes igne charitatis imperfectionem exuunt, & maris immersione, hoc est, laborū exercitatione pulchriores virtutum pennas suscipiunt. De qua renouatione est sermo 2. ad Cor. 4. *Licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur: tamen is, qui intus est, renouatur de die in diem:* & ad Ephel. 4. *Renouamini spiritu mentis vestre.* Illud merito obseruauit Ambros. serm. citato non dictū esse à Propheta: *Renouabitur ut aquilarum iuuentus tua,* sed: *ut aquila,* vt intelligeremus vnius singularis aquilæ, id est, Christi in nobis renouandam esse iuuentutem. Cum igitur ob superiores omnes rationes Ecclesia aquila sit, merito illi data dicuntur duæ alæ aquilæ magnæ, vt volaret in desertū à facie serpentis. Quid verò per has duas alas accipiendum sit, iam dicendum. Beda duo testamēta interpretatur: Primasius duo testamēta, vel etiam geminam Dei, & proximi charitatem: Richardus Victo. & Haymo duo testamēta, geminam charitatem Dei, & proximi, vitam actiuam: & contemplatiuam: Ioachimus sapientiam, quæ de suis sum est, & charitatem: itaque in tribus expositionibus potissimum copueniunt interpretes. Prima est de duobus testamētis: secunda de duplici dilectione: tertia de vita actiua, & contemplatiua. Verum missa prima expositione, & secunda, de quibus iam

iam alias differuimus, vtramque vitam actiuam, & contemplatiuam expendit D. Greg. hom. 3. super Ezech. in illis mysticis animalibus, de quibus dicitur Ezech. 1. quod manum hominis sub pennis habuerint: *Manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus. Quid, inquit, per manus nisi actiua vita: quid per pennas nisi contemplatiua? Manus ergo hominis sub pennis eorum est, id est, virtus operis sub volatu contemplatiua.* Eodem sensu accipit homil. 14. super Ezech. illud quod dicitur e. 40. de calami mensura sex cubitorum, & palmi. Quo loco per sex cubitos calami docet exprimi vitam actiuam: quia sex diebus perfecit Deus omnia opera sua: per palmum verò, qui super sex cubitos esse dicitur: designari contemplatiuam, de qua vix parum aliquid attingere possumus iuxta illud primæ ad Cor. 13. *Videmus nunc per speculum in enigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc cognoscam, sicut & cognitus sum.* Deinde comparat vitam contemplatiuam lucta, in qua quis modo se superiorem, modo inferiorem inuenit, idque adumbratum fuisse in Iacob luctante cum Deo Gen. 32. *Anima, inquit, cum contemplari Deum nititur, velut in quodam certamine posita modo quasi exuperat, quia intelligendo deinceps circumscripto lumine aliquid degustat: modo succumbit, quia de gustando iterum deficit: quasi ergo vincitur Angelus, quando intellectu Deus apprehenditur. Sed notandum, quod idem Angelus victus neruam femoris Iacob fecit marcescere, quia scilicet omnipotens Deus cum per desiderium, & intellectum cognoscitur, omnem in vobis voluptatem carnem arefacit: & qui prius quasi duobus pedibus innitentes & Deum videbamur querere, & seculum tenere, post agnitionem suauitatis Dei vnus in nobis pes sanus remanet, & alius claudicat: quia necesse est, vt debilitato amore seculi conualescat ad amorem Dei. Omnis enim qui vno pede claudicat, soli illi pedi innititur, quem sanum habet, quia & cui desiderium terrenum iam arefactum fuerit, in solo pede amoris Dei tota virtute sustentetur, & in ipso stat, quia pedem amoris seculi, quem ponere in terra consueuerat, iam à terra suspensum portat. Hæc ille. Postremò, Merito hæc duæ vitæ appellantur alæ non cuiusuis volucris, sed aquilæ, quia vtraque sublimis, ac generosa est, & in ipso sole Christo ad imitandum figit obtutum. In eo verò, quod alis comparantur, illud ostenditur vnam alteri iungendam esse: siquidem volucres, si altera ala truncetur, in sublimi ferri non possunt.*

D. Gregor.
Ezech. 1. 8.
Vita actiua,
& contem-
platiua duæ
ala.
Ezech. 40. 5.

1. Cor. 13. 12.

Vita contem-
platiua lucta
comparatur
ex Gregor.
Gen. 32.

Vita contem-
platiua acti-
ua iungenda.

Quòdnam sit flumen illud, quod draco ex ore post mulierem emisit:
& quid sit terram mulierem absorpto flumine adiuuisse?
Et misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen, vt eam
faceret trahi à flumine: & adiuuit terra mulierem, & aperuit terra os
suum, & absorbit flumen, quod misit draco de ore suo.

SECTIO XXII.

Cum primum mulier post editum infantem acceptis aquilæ pennis sese in sublime extulit, vt in desertum aufugeret, iratus draco ob abreptam sibi de manibus infantis prædam emisit post mulierem flumen, si forte posset eam aquis inuolucere. Verùm irriti fuerunt serpentis conatus, quoniam adiuuit terra mulierem, flumē & dracone immanissimo summo impetu emissum, ac post terga mulieris velocissimè delabens non sine miraculo reorbens. In quo quidem facto duo expositionem desiderant: vnum est, quòdnam illud flumē fuerit, quod draco post mulierem, hoc est, Dæmon siue Antichristus post Ecclesiam misit ex ore? Alterum, quo modo terra absorbens flumen mulierem adiuuerit?

Quod ad primum attinet, est communis expositio, quam sequuntur Andr. Cesar, Tycon. Beda, Primal. Ansbert. Haymo, per flumen accipiendam esse acerbillimam, & rapidissimam persecutionem. Postquam enim mulier fugerit in

II.
And. Cesar.
Tyco. Beda.
Primal.
Ansbert.
Haymo.

